



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies nonus et decimus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1925

De B. Nicolao Fratре Converso Ordinis Cisterciensis Villarii In Brabantia
Commentarius Praevius

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72556](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72556)

A

D

DE B. NICOLAO
FRATRE CONVERSO ORDINIS CISTERCIENSIS
VILLARII IN BRABANTIA

G. AN. 1300

COMMENTARIUS PRAEVIUS

H. D.

B. Nicolai 1. In fastis Cisterciensium et Benedictinorum passim cum appellatione beati laudatur hodie Nicolaus conversus Villariensis. Ita apud Henriquesium (1), Bucelinum (2), in calendario sanctorum ac beatorum Ordinis Cisterciensis (3), in catalogo beatorum Villariensium anno 1650 concinnato (4). In martyrologio Villariensi manuscripto, saeculi XVIII, quod penes nos asservatur, hisce nuntiatur verbis: Villarii, depositio beati Nicolai conversi, eiusdem monasterii opilonis, qui semel in die corpus reficiebat, die noctuque cilicio membra domabat, et pro pulvinari trunco durissimo utebatur; cum autem quinquaginta annis in ordine sanctissime vixisset, feliciter obiit in Domino (5). Quae excerpta sunt ex libro de gestis virorum illustrium monasterii Villariensis, ea parte quae est de fratribus conversis prae aliis sanctitate claris (6).

in collatione de tribus conversis

2. De ratione qua primum conscriptum est chronicum Villariense, quod deinde saepius auctum et retractatum fuit, etiam postquam gestis abbatum sanctorum loci Vitae additae fuerant, iterum disserere superfluum est (7). Neque necessarium videtur B. Nicolai elogium proferre quale in historiis monasterii iam perfectis legimus. Contigit enim in codice Bruxellensi 4459-70, membraneo, qui Villariensis olim fuit, saec. XIV ineunte exarato, fol. 207^v-216^v, narrationem de tribus fratribus eiusdem coenobii Arnoldo, Hermanno et Nicolao nostro reperire (8), qui fons est eorum omnium quae de iisdem in Historia Villariensi conscripta sunt. Parum diligenter codicem inspexit, si tamen inspexit v. d. G. Waitz, qui monumenta Villariensia in eodem contenta a barone de Reiffenberg iam edita esse falso sibi persuasum habuit (9), ideoque inutilem duxit. Incipit narratio nullo praefixo lemme, in indice tamen codicis Collatio quae-

dam apte nuncupatur. Collatio enim, vocabulo apud monachos usitatissimo, dicebatur vespertina lectio communis vel confabulatio de rebus animae salutaribus, de qua, ni fallor, ipsa Gesta Sanctorum Villariensium ita habent: Cum hi religiosi patres ad commune colloquium accederent, et referrent gesta sanctorum patrum, valde scrupulosi erant ne excederent minus vel plus dicendo. Unde, soluto colloquio, trahentes priorem in auditorio, confitebantur de delicto praeterito cautiore facti de reliquo (10). Trium conversorum historiam in collatione lectam esse vel narratam verisimile est (11).

3. Exordium ducit scriptor anonymus a visione Iohannis Voerloep, seu Praeursoris, ut in vulgata Historia est (12), coram conversis tribus, quorum magister erat (13), missam celebrantis. Dein singulorum fratrum sanctam vivendi rationem enarrat et quae memoratu digna erant exponit. Hos ad se vocasse, ut eorum orationibus res suas commendaret Iohannem II, Brabantiae ducem (1294-1312), apud Sanctam Gudulam Bruxellis deinde sepultum, scribit auctor anonymus. Hic proinde post annum 1312 calamo manum admovit. Non tamen multos post annos scripsisse credendus est. Quaedam enim audiuit a testibus qui cum sanctis fratribus vixerunt, ut est ille qui Hermanno morienti adfuit (n. 4), et alter, vir sanctae vitae, quem, utpote superstitem, nominandum non duxit (n. 5). Non pauca affert quae ut ab aequali vel suppari notari solent, ita et a posteris ignorantur vel praetermittuntur. Exemplo sint Iohannis Praeursoris nomen vernaculum, quod Lovanii natus sit, quod fuerit pulcher aspectu; item singulorum fratrum natale solum et alia quae ab iis qui historiam Villariensem postea coniecerunt veluti minoris momenti resecta sunt.

(1) Menologium Cisterciense (Antverpiae, 1630), p. 376. — (2) Menologium Benedictinum (Veldkirch, 1655), p. 768; A. RAISSIUS, *Ad Natales sanctorum Belgii Ioannis Molani auctarium* (Duaci, 1626), p. 363, Nicolaum nostrum, cuius natalem diem ignorasse videtur, die 6 decembris annuntiat, quae homonymo Myrensi sacra est. — (3) *Kalendarium Cisterciense seu martyrologium sacri ordinis Cisterciensis romanis rubricis accommodatum* (Parisiis, 1689), p. 311. — (4) In codice Bruxellensi 7776-81, fol. 101-102^v. — (5) Musei Bollandiani cod. 429. De codice dixit R. LECHAT, *Les Bienheureux de Villers*, in *Anal. Boll.*, t. XLII. — (6) MARTÈNE et DURAND,

Thesaurus novus anecdotorum, t. III, p. 1364; *M. G.*, Ser. t. XXV, p. 234. — (7) Cf. G. WAITZ in *M. G.*, t. c., p. 192-95. — (8) *Catal. Lat. Brux.*, t. I, p. 395-98. — (9) *M. G.*, t. c., p. 194. Cf. *Annuaire de la Bibliothèque Royale de Belgique*, 1842, p. 129-36; 1846, p. 103-116. — (10) *M. G.*, t. c., p. 235, 16. — (11) Praeter Nicolaum nostrum, Arnoldus et Hermannus in menologiis supra allatis et in catalogo beatorum Villariensium recensentur, hic quidem die 9, ille vero 3 aprilis, non tamen in martyrologio seu codice Bollandiano 429. — (12) MARTÈNE et DURAND, t. c., p. 1357; *M. G.*, t. c., p. 233. — (13) *Ibid.*

DE

A

D

DE B. NICOLAO ET SOCIIS NARRATIO

E codice bibliothecae Regiae Bruxellensis 4459-70. Cf. Comm. Praev. num. 2.< De tribus fratribus conversis
Villariensibus collatio.>*Tres fratres
Villarien-
ses.*

1. In monasterio Villariensi monachus fertur fuisse cui nomen erat Iohannes Voerloop (1) de Lovanio oriundus, pulcher corpore sed multo pulchrior religione. Inerat enim ei facies euntis in Iherusalem. Hic quadam die existens in grengia nostra de Fleppe (2), preparavit se ad dicendum missam. Manserant vero ibidem tunc tres viri religiosi qui et quales fuerint postea narabo. Et ecce hii tres uno ore petunt se admitti ad corporis Christi participationem. Quod ille audiens abnuit, allegans consuetudinem ordinis tunc¹ temporis esse votis eorum contrariam. Quo audito viri illi obmutuerunt, committentes ei desiderium suum, qui illud in eis excitaverat. Nec mora monachus indutus sacris divina inchoat fratribus eum adiuvantibus. Cum autem hora perceptionis instaret, corripitur a Domino nolens prefatos fratres a suo desiderio fraudari. Tunc ille sciens sibi durum niti in contrarium, seposita particula corporis Christi missam finivit. Qua finita quid audierit fratribus retulit et eos statim corpore Christi communicavit. Quo pasti gratiarum actiones Domino sicut dignum et iustum erat reddiderunt.

*Arnoldus
vir pius,*

2. Primus horum trium fuit frater Arnoldus (3) de Cumppte (4), multor, homo devotus et pius. Visitaverat enim ante conversionem suam sepulchrum Domini et sancta loca adiacentia, habens in desiderio visitare si potuisset iterato. Quadam die venit ad eum mulier lasciva et procax dicens se velle mutare statum suum in melius dummodo sibi succurrere vellet in vitae necessariis. At ille, zelans salutem proximorum, petenti consensit et femine prout habere poterat tribuit necessaria. Ipsa vero abiens et simplicitatem viri deridens de eo texuit cantilenam et eam in chorea precinuit chorizando. Choream autem finita, que acta sunt viro Dei referuntur. At ille, in oratione se tribuens, Dominum¹ pro ea exoravit. Et ecce oratione completa, precentrix illa corripitur infirmitate et egestate, et necessitate compulsa veniam deprecatur. Homo vero Dei statim ei de corde remisit et usque in finem vite ei benefecit. Confluebant igitur ad eum sicut erat vir magni nominis homines religiosi colloquentes sibi invicem de gaudiis superne felicitatis, de mundi miseriis, inferni suppli-

ciis scripturarumve salutaribus monitis, sepius ibidem sentientes interne suavitatis dulcedinem. Concurrerunt etiam ad eum plurimi seculares, quidam gravissima consuetudine peccandi irretiti, alii temptationibus gravati, quidam oppressionibus² pessumdati, petentes auxilia orationum suarum. At ipse, in spiritu lenitatis descendens eis, monita salutaria pro captu eorum eis propinabat, quodammodo omnibus omnia factus. Hec et multa alia memoria digna egit. Sed hec scripsimus ne tanta lucerna penitus sub modio abscondatur.

3. Alter horum trium fuit frater H<ermanus> (5) de terra Lossensi (6), vir mitis et misericors, quondam minister fratris de quo superius scripsimus, nec ab eo degeneravit, sed eius vestigiis adhesit, corpore incultus, terrena desepxit celestibus intentus. Non enim hic erat de numero illorum quorum Deus venter est, qui vescuntur cibo regio; sed sobrie vivens a carne et vino etiam in gravibus debilitatibus abstinuit. Hic adeo purus et clarus fuit quod solo respectu aliquociens status hominum novit. Monachus quidam in periculoso statu mente latenter constitutus quadam vice coram eo transiit et in instanti statum eius cognovit. Qui eum vocatum ad se redarguit et emendatum dimisit. Quadam die infirmatus est hic homo Dei fere usque ad mortem, et superveniens quidam de fratribus nostris et assidens ei, uberrime flere cepit nunciando ei mortem sibi fore vicinam. Quod cum audisset dixit: «Non est hec infirmitas mea usque ad mortem; sed tu, frater, in proximo migrabis a corpore.» Et ecce modico tempore elapso, vir Dei resurgit. Frater vero ille infirmitate correptus, viam universe carnis ingressus est. Vide, lector, qualiter iste spiritu prophetie claruit.

4. Fuit etiam adeo deditus operibus caritatis et misericordie quod vetera indumenta fratrum pro novis reciperet, dummodo recompensationem haberet veterum pannorum pro pauperibus induendis. Et aliquociens Martha postposita se debat ad pedes Domini contemplationi vacans cum Maria. In qua interdum rapiebatur in spiritu et in excessu mentis, magnam luminis claritatem inde reportans. Et cum a fratribus rogaretur ut aliqua causa edificationis proponeret, exempla simplicia referebat ad puritatem et mundiciam cordis eos exhortans. Profunditatem

1 Cor.
9, 22.*Herman-
nus
vir mitis,*Phil. 3, 19.
Dan. 1, 13.Ioh.
11, 14.*caritatis
operibus
deditus,*Luc.
10, 39.1. — ¹ corr., prius nunc cod.2. — ¹ domino cod. — ² in margine corr., prius aparationibus.

(1) Al. Iohannes Praecursor. Supra, p. 277, n. 3. Voorlooper flandrice est praecursor. Inscriptus est B. Iohannes martyrologio Villariensi die 28 augusti. Cod. Musei Bollandiani 429. — (2) Fleppe, nunc Velp seu Opvelp et Neervelp in Brabantia, 11 km. S.-E. distat Lovanio. De cella in Fleppe (c. 1185-1197) lege DE MOREAU, *L'Abbaye de Villers* (Bruxelles, 1909), pp. 25, 200-201. — (3) Elogium in *Historia monasterii Villariensis*,

I. III, c. 4, MARTÈNE et DURAND, t. c., p. 1364; *M. G.*, t. c., p. 234, n. 27. — (4) Cumppte, ni fallor Cumpth in Brabantia, 15 km. S.-S.-E. distat Lovanio. — (5) Elogium in *Historia monasterii Villariensis*, I. III, c. 2, MARTÈNE et DURAND, t. c., p. 1362; *M. G.*, t. c., p. 234, n. 25. — (6) Lossensis terra, Looz, in provincia Limburgensi, 11 km. O. Tungris distat.

vero

A vero intellectus eius raro aperuit, eo quod pauci eum intelligere poterant. Ubicumque locorum morabatur plurimi ad eum convenerunt, maxime tamen beghine, auxilium et consilium expetentes et orationibus eius se commendantes; multi eius exhortatione ad Dominum conversi sunt. Sublimes personas vitabat, quamquam tamen multum ab eis venerabatur, sed mediocres graciose tractabat. Obloquentes et persecuentes et eum venerantes surda aure pertransibat. Beatam Virginem, abbatissam ordinis nostri, valde diligebat; nam frequenter ei apparuerat. Expletis itaque quinquaginta annis et amplius in ordine, ydropica passione infectus est. Cumque aggravaretur de die in diem, sacramentis¹ ecclesiasticis munitus est. Cumque unus monachorum inquireret ab eo si purgatorium abhorreret, respondit: « Non, sed gloriam Domini perpetuo victurus intrabo. » Et licet plures in hora mortis eius adesse cuperent, aliter Deo ordinante factum est. Nam in Kivilipont (1) mortuus est quia pro nimia inflatura sine periculo ad abbaciam deferri non poterat. Cumque animam redditurus erat, supervenit quidam de fratribus nostris qui distabat ab eo per quinque miliaria, quia monitus fuit in spiritu ut postpositis omnibus morti eius adesset. Sicque factum est ut eo presente et fratre qui eum custodierat, ab hoc seculo migraret. Et ecce mater misericordie ibidem comparuit eiusque animam ad superna deduxit, et quamquam fratrem quendam qui in domo laborabat et familiam vocassent, nullus² eorum affuit; non enim ut credo digni habiti sunt. Retulit mihi unus eorum quod in vita sua nunquam tantam gustaverat spiritu suavitatem ac dulcedinem quantum illa hora percepit nec statim finiebatur sed per tres dies in eo perseveravit.

Nicolaus
olim
pastor
ovium.

Galat.
6, 14.

B
C
Tercius horum fuit frater Nycholaus (2) de Milijn (3), pastor ovium, homo pusille stature, durissimus castigator corporis sui. Si eum videres putares te vidisse Arsenium¹ vel unum de antiquis heremi cultoribus, quippe mundus sibi crucifixus erat et ipse mundo; niger quidem corpore, formosus tamen mente. Hic multis annis nisi semel in die comedit et nocte dieque cilicio² membra domabat. Rarissime stratum ascendebat, sed in camera sua, in loco ubi orabat, ibi et dormiebat, tranco utens pro pulvinari. Plurimi homines gratia edificationis ad eum venire solebant, et ipse etiam longo tempore opera misericordie et caritatis proximis suis exhibebat. Cum autem quinquaginta annis in ordine vixisset, mortuus est in senectute bona, sepultusque in tumbis fratrum suorum nec³ longe a fratre H<ermanno> predicto. Cum autem dominus Iohannes bone memorie dux Brabantie (4), sepultus apud Sanctam Gudulam in Bruxella, pericula sibi totique⁴ terre imminere conspiceret, hos

fratres ad se vocari fecit, multumque de eorum bonitate confusus humillime orationes eorum postulavit et ob eorum reverentiam tam ipse quam alii monasterium Villariense honorabant. Accidit preterea una dierum, fratre Nycholao nuper defuncto, quod quidam alienigena visiteret multa loca religiosorum ad impetrandum suffragia pro anima cuiusdam de novo defuncti. Tandem venit ad hominem quendam sancte vite quem ad presens nominare non expedit. Qui dixit ei: « Ne solliciteris ultra pro hac anima; nam per revelationem accepi hanc et multas alias fuisse deliberatas in transitu cuiusdam fratris Nycholay de Villari. » Qui letus effectus narravit hoc fratribus nostris demorantibus in Fleppe, ad honorem Dei, qui est benedictus in secula.

Revelatio.

Frater
Arnoldi
praedictio.

6. Frater¹ Arnoldus, primus horum trium, quadam vice vocatus est in Lovanio a domina valde devota que gravissima infirmitate detinebatur et eo presente supervenit una de filiabus ipsius domine que tunc noviciatum secundum morem ordinis Cisterciensis assumpserat. Sed cum iam dies inclinata esset, novitia merore confecta virum Dei alloquitur dicens: « Quid faciam, karissime frater? Morti matris interesse pietas iubet, sed lex novitiatus me extra monasterium pernoctare non permittit. » At ille compaciens flenti novicie ait: « Vade secunda ad monasterium; mater tua tricesima die primo creticabit (5). » Quo audito novitia ad monasterium pergens, singulos dies computare non desinit et tricesima die secundum verbum fratris mater alleviata est et Domino postea multis diebus devotissime servivit. Scito tamen, lector, virum Dei hec non predixisse per experientiam artis medicinalis de qua nil noverat sed per revelationem Spiritus sancti qui sibi multa manifestavit ad profectum proximorum suorum, in laudem et gloriam Dei, qui est benedictus in secula.

Frater
Herman-
ni
revelatio.

7. Quodam tempore venit ad fratrem Hermannum beghina quaedam rogatura eum ut oraret pro anima fratris sui nuper defuncti. Sed cum ad locum in quo vir Dei morabatur venisset, accessum ad eum habere non potuit sed aliquantulum quiescens, causam adventus nemini indicavit. Frater vero predictus tandem progrediens dixit: « Beghina illa que anxiat de morte cuiusdam albi monachi accedat et loquatur mihi. » At illa ammirans ultra modum unde sibi hoc ut causam adventus sui nullo revelante cognosceret, accedit rogans eum dummodo fuerit in statu salvandorum ut pro predicto albo monacho fratre suo intercedere velit. At ipse exhortans ne de salvatione eius difidat, consolatam a se in pace abire precepit. Quid miraris, lector? talia absconduntur sapientibus et prudentibus, sed revelantur parvulis, ut ipse loquitur in ewangelio, qui est benedictus in secula.

Matth.
11, 25.

4. —¹ sacramenticis cod. —² ullus cod.
5. —¹ Archenium cod. —² corr. prius cilicium. —³ a add. cod. —⁴ toteque cod.

6. —¹ quae sequuntur littera minore conscripta sunt.

(1) Kivilipont, nunc Chevelipont, Chevliopont, prope Baisy-Thy (canton de Genappe). — (2) Elogium in *Historia monasterii Villariensis*, I, III, c. 3, MARTÈNE et DURAND, l. c., p. 1364; *M. G.*, t. c., p. 234, n. 26. — (3) Milijn, ni fal-

lor Mielen-sur-Aelst, in provincia Limburgensi, 8 km. S. oppido Sancti Trudonis distans. — (4) Iohannes II, dux Brabantiae, 1294-1312. — (5) Creticare, in crism, ut vocant medici, incidere. DUCANGE I. V.